



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

DE OBITU

ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI D.

BERNHARDI, PRINCIPIS IN

ANHALDT, COMITIS ASCANIAE, ET DO-

mini in Zerbest & Bernburg, & Qui placide in con-
fessione Filij DEI obdormiuit Dessauia,

Anno 1570. Calendis

Martij.

LVCTVS

CONRADI OLDENDORPII,

apud Cothonienses Diaconi.



VITEBERGAE EXCVDEBAT

Johannes Schuvertel.

ANNO M. D. LXX.

PLangite magnanimi proceres, & pectora palmis
O gens Ascaniæ, tundite uestra, domus:
Plangite, plangentes, sumpto & uelamine, uultus
Cingite, & à cultis ferta mouete comis.
Fulgida lugubri uestis mutetur, & ima
Per genua, ad tremulos pendeat usq; pedes.
Atria, sepositis, obducta, tapetibus, atro
Sint panno, & ueniat nullus ad ista nitor,
Omnia solliciti sint plena theatra doloris,
Exeat his luçtus qui nequit esse comes.
Namq; hæc illa dies, nostræ qua magna salutis
Pars abiit, nostri perfugiumq; ducis.
Qua decus Aonidum, qua maxima stirpis auitæ
Gloria, uirtutis quaq; recessit apex.
Magnanimũ heroem refero, qui summa per orbis
Climata, BERNHARDI nomine clarus erat,
Inclytus, Ascaniæ Comitum qui sanguine cretus,
Gentis Anhaltinæ duxq; decusq; fuit.
Hic ubi iam tenues utero dimissus in auras,
Luderet in gremio matris, & ante pedes:
Iamq; sui uoces iteraret uoce parentis,
Verbaq; iam balbo disceret ore loqui:
Hausit prima statim uitæ documenta beatæ
Acris & ingenij plurima signa dedit.
Post ubi iam fugiens maiora requireret ætas,
Esset & ad Clarias mens magis apta Deas:
Protinus illarum sese ad pia castra recepit,
Miles & in quauis sedulus arte fuit.

A ij

Artis



Artibus ingenium nunc his, nunc excolit illis,
Fitq̄ per alternas grata Camæna uices.
Sic studium studijs, sic artibus addidit artes,
Res rebus, uerbis uerba stylumq̄ style,
Donec magnarum fœcunda scientia rerum,
Ipsius nomen ferret ad usq̄ polos:
Donec & illius cultæ facundia linguæ
Redderet argutos docta per ora sonos.
Et iam non solum patriæ pia sceptrâ gerendi
Consilio certum sciuit & arte modum.
Nec tantum dubijs in rebus acumine mentis,
Hanc uidit tutò quæ subeunda, uiam,
Sed sacris etiam fidei de partibus inter
Differuit doctos non sine laude uiros,
Falsaq̄ diuino dissoluit dogmata uerbo,
Iuit & argutis obuius arte strophis.
Et quia certus erat ueteris quædamna sequantur,
Serpentis missum uirus in arua Dei:
Pectore curauit uigili fanaticus error
Turbaret regni, ne sacra templa sui.
Ah quoties illos est execratus, inanis
Qui famæ turbant ambitione rudes.
At contra, ô quantis affecit honoribus illos,
Qui populum pura simplicitate docent.
Hosce sibi, sese his iunxit, coniunxit utrisq̄
Se Deus, ô tantis iunctio digna uiris.
O quantum illorum dubijs coniunctio rebus,
Profuit huic, illis huius utrisq̄ Dei.

Sæpe

Sæpe graues tali curas ratione remouit,
 Sæpe sui cordis triste leuauit onus.
 Sæpe: Sed illius laudati commoda moris,
 Non est propositi cuncta referre mei,
 Eloquar ? An sileam ? qua & dexteritate fideq̄,
 Rexerit imperio subdita membra suo ?
 Eloquar : & meritò : nec enim quæ Principis ornat
 Stemmata, uirtutem præterisse decet,
 Virtutem, recipit qua nil præstantius orbis,
 Nomina commendet quod magis alta ducum.
 Nec fuit imperium Regi felicius ulli,
 Quam cui uirtutis mos fuit ire uiam.
 Hoc decus ergò duci manet & pia gloria nostre,
 Hoc sibi præ multis nobile nomen habet.
 Namq̄ age, quæ uirtus, quæue inclyta fama redunt
 Qua non sit priscis æquiparandus auis : (dat
 Hoc age, quis melius nostro & moderatius æuo,
 Imperij potuit frena tenere sui ?
 Parcere subiectis generosi more Leonis,
 Mos fuit, & posita lege domare malos.
 Supplicio fontes pœnaq̄ coercuit acri,
 In rocuus patriam suppeditauit opem.
 Adde quod & (uirtus quæ non postrema notatur)
 Publica priuatis prætulit ipse bonis,
 Communes & opes opibus prouexit & auxit
 Ciuibus & pariter duxq̄ paterq̄ fuit.
 Sed quibus eloquijs ? aut quorum uoce referri
 Tantus honor poterit, gloria tanta Ducis ?

Scilicet hic tantus tam magni nominis heros
 Nunc iacet & citius spe, sua fata subit.
 O mors, O nimium crudelis & improba Parca,
 Hei quam triste tui nominis omen habes?
 Sicne sub istius prætextu nominis æuum
 Eripis, & quouis sæuior ense furis?
 Quid facis? An bellum præformidabile nostris
 Cum ducibus, dira lege, maligna geris?
 An non sat fuerat, puerili ætate GEORGVM
 FRANCISCVM patri præripuisse suo?
 An non & nimium IOACHIMI coniuge rapta
 ERNESTI castum diminuisse thorum?
 Fataq; sic fatis, cumulasse, & funere funus,
 Et nigros dempto sine dedisse dies?
 Ni quoq; BERNHARDVM tantæ uirtutis alum:
 Ciuibus eriperes per tua tela suis? (num
 Nicq; recens alio renouares uulnere uultus,
 Vexaresue nouo pectora mœsta malo?
 O sæua, O nullo rapiens discrimine Parca
 Quemlibet, O nullis parcere docta uiris.
 Dii: Sed in immotam quid cæco turbine Parcã
 Inuehor? & furij impetuofus agor?
 Cogitur & posuit summi quem factor Olympi,
 Nec post abscindit fila, nec ante, diem.
 Officij famulæ ceu dextera iure coacta
 Exequitur dominæ iussa tremenda suæ:
 Hæc quoq; sic superũ peragens mãdata sub umbras
 Hunc modo, mox illum seu furibunda rapit.
 Percq;

Perçq̄ casas humiles, per summa theatra, per aulas,
Heu nimium celeri sæua uagatur equo.
Sæua quidem uultu, manuum sed uiribus ægra,
Virus abest, morsum perdidit illa suum.
Destruit hospitium, remanente sed hospite tuto
Membra necat, uiuens spiritus astra petit.
Christus enim supera nobis demissus ab arce
Mortali assumpto sanguine factus homo:
Sanguineum gessit rapida cum morte duellum,
Fortior & uicto uictor ab hoste redit.
Abstulit ac uirus uiresq̄ & spicula fregit.
O ubi nunc morsus mors inimica tuus?
Sed nunc atra dies, mœsto, qua iusta, sepulchro
Solenni ritu, sunt peragenda redit.
Iamq̄ tuba horrifico turbam funesta fragore
Conuocat, accurrunt uirq̄ puerq̄ simul.
Paruula procedit gressu, longo agmine, turba
Mœstaq̄ lugubri carmina uoce canit.
Ipse etiam Princeps toto comitatus equestri
Ordine, pullatus saxea busta petit.
Turbaq̄ multisono tendunt ad sacra tumultu,
Pone uirum sequitur uir, puerumq̄ puer.
Auditur gemitus, promunt suspiria luctus,
Heu tangunt fratris uisa sepulcra ducem.
Fallor? an & posito uocum stridore sacerdos
Surgit, & exten to gutture uerba facit?
Surgit & ex animis ingentes ponere luctus,
Hosq̄ piæ in mentis uertere uota iubet.

Vos

Vos itaq; ô proceres, nostræ & gens incola terræ,
Et qui præterea signa dolentis habes:
Huc ades, & mecum cultas procumbe sub aras,
Ardua; in tales ora resolue preces:
Summe parens, opifex mundi, fator unice rerum,
Subsistens uno numine sancta trias:
Vna; sub numero ueneranda essentia trino,
Diuina famulis cognita uoce tuis.
Accipe postremo quos iam ueueramur honore,
Commisissos cineres & pia membra tibi.
Accipe, pacificamq; ipsis largire quietem,
Et da Cultori molle cubile tuo.
Angelica donec reuocatus uoce resurgat,
Regna; perpetuo non peritura petat.
Et nunc Ascanij restat quia sanguinis heros
Vnicus, & nati, quos habet ille, duo.
Hunc igitur, sobolemq; piam tueare, nec absit,
Ex hoc, qui regni stemmate frena gerat.

At uos tecta pñ requiescite Principis ossa,
Cumq; redit Christi summa, redite, dies.

F I N I S.

Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





4.
3.

DE OBITU
ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI D.
BERNHARDI, PRINCIPIS IN
ANHALDT, COMITIS ASCANIAE, ET DO-
*mini in Zerbest & Bernburg, & Qui placide in con-
fessione Filij DEI obdormiuit Dessauia,
Anno 1570. Calendis
Martij.*

LVCTVS
CONRADI OLDENDORPII,
apud Cothonienses Diaconi.



VITEBERGAE EXCVDEBAT
Johannes Schuvertel.
ANNO M. D. LXX.